



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère <1543-1623>**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 3. De modis quibus Irregularitate,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78477)



## CAPVT III.

## De modis quibus irregularitas tollitur.

## S V M M A R I V M.

- 17 Quatenus irregularitas tollatur susceptione baptismi.  
 18 Quatenus per ingressum religionis.  
 19 Duae conditiones requisite ad talem ingressum: & quod is non reddat habilem ad prelaturas, sicut ad Ordines.  
 20 Documenta notanda de modo irregularitatem tollendi per dispensationem.  
 21 Episcopo committitur examen literarum Papa per quas dispensat, & quatenus Confessarius Episcopi possit cum ipso dispensare.  
 22 Papa potest in omni irregularitate dispensare, potest & is cui ille id commiserit.  
 23 De exceptione irregularitatis ex homicidio, que fieri solet in tali commisione.  
 24 Alia notanda de eadem commisione: & inter cetera, quod non sit censenda fieri in tubilibus: concedendo facultatem absoluenti ab omnibus censuris.  
 25 Alij habentes facultatem dispensandi, ex iuri dispositione.  
 26 Irregularitates in quibus dispensat Episcopus.  
 27 Varij casus in quibus potest Episcopus dispensare cum irregulari ex delicto publico.  
 28 Quatenus dispensare possit Episcopus in irregularitate ex homicidio casuali.  
 29 Notanda circa facultatem a Concil. Trid. Episcopo concessam, dispensandi in irregularitate ex delicto occulto.  
 30 Quod delictum occultum, quod publicum sit tenendum in hacre.  
 31 Dispensatio in irregularitate, dari potest non modo expresse, sed etiam tacite.  
 32 Obseruandum in dispensatione, cum is, cum quo dispensatur plures habet irregularitates.  
 33 Notanda de vsu dispensationis in irregularitate.

17. **T**OLLITUR irregularitas tribus modis. Primo, per baptismum. Secundo, per ingressum religionis. Tertio, per dispensationem. Ac quod ad primum attinet, Angelus, Baptismus 7. num. 3. & Irregularitas secundo, in principio, & Sylu. Baptismus 6. num. 2. & verbo Irregularitas sub finem, ex communi sententia referunt per baptismum deleri omnem irregularitatem ante ipsum contractam ex peccato, vel ex eo quod est peccato consequens, vt infamia. Nam delicta obesse non solent, si lauacri remissa fuerint sacramento, ex cap. Vna, dist. 26. Obessent autem, si post baptismum remaneret irregularitas illa que fuerat ex eis contracta. Quod argumentum est glossa finalis, ad cap. Deinde, eadem dist. 26. vbi in confirmationem adfert quod D. Paulus ante baptismum homicida fuerit: consentiendo scilicet neci Protomartyris Stephani: postea que factus sit Apostolus. Et quamuis baptismus non tendat ad purgandum id in quo non est peccatum cap. Vna, & cap. Deinde, citatis: ideoque non videtur liberare posse ab irregularitate que sine peccato contrahitur (sicut non liberat ab ea que prouenit ex digamia, iuxta textum in cap. Acacius, & cap. Deinde, dist. 29.)

Attamen post Panor. ad cap. Gaudemus, De diuortijs; Angelus, & Sylu. loc. cit. D. Anton. 3. parte tit. 28. cap. 12. in fine, Armilla, verbo Irregularitas nu. 87. Nauar. cap. 27. nu. 209. sentiunt liberare ab irregularitate proueniente ex homicidio; non modo eo quod a peccato, sed eo etiam quod sine peccato sit, in sententia vel executione iudiciali criminorum. In probationem autem adferunt cap. Si quis viduam, dist. 50. in quodum absolute statuitur irregularitatem habendum cum qui post baptismum commiserit homicidium, censetur sufficienter significari, irregularitatem ex homicidio non pertinere ad eum qui ante baptismum commiserit homicidium. Quod si omnium consensu verum est quoad homicidium illicitum, censeri pariter debet verum quoad licitum: quia vt glossa prima ad initium dist. 51. habet, in ea re non debet esse melioris conditionis peccans, quam non peccans. Adde quod Henriquez notat lib. 2. q. 8. p.

17. §. 2. t. u. cessare horrore occisionis, eo quod homo, qui prius erat quasi lupus, Saulo similis, per regenerationem beatissimi deposita feritate, fiat ouis mansueta, & mutetur in alterum virum.

## De modo tollendi irregularitatem per ingressum religionis.

## S E C T I O I.

**I**N Authentica De monachis, in principio, collatione prima, verba hæc habentur: Conuersationis Monachialis vita sic est honesta, sic commendare nouit Deo ad hoc venientem hominem, vt omnem humanam eius maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili naturæ decentem, &c. Vnde glossa ad cap. Cum deputati: De iudicijs sub finem, infert, eo ipso quod aliqui se deputat ut obsequio Iesu Christi, omnem ab eis irregularitatem tolli si quæ fuit. Quod tamē aduerte nõ posse intelligi de omni irregularitate simpliciter, sed ad summum de ea quæ non confurgit ex proprio delicto eius, qui irregularis est. Nam confurgentem ex proprio delicto illius, dispensatione egere, patet ex cap. 2. De apostatis: vbi habetur, cum eo qui contraxit irregularitatem ex iteratione baptismi, si ad religionem transeat, posse dispensari fauore ipsius religionis: vbi glossa vltima id ipsum expressit. Eaque ratione Hostiensis (cuius meminerunt Angelus, Irregularitas 2. num. 3, & Sylu. eodem verbo sub finem) propositam authenticam accipiendam esse notant ad idem cap. 2.

Panormit. vero annot. vlt. in idem, censet ingressu religionis tolli tantum eam irregularitatem de qua expressum est in iure, quod per illum tollatur: sicut est De irregularitate filiorum illegitimorum in cap. 1. dist. 56. & in cap. 1. De filiis presbyterorum: quoad alias autem irregularitates, inducere tantum faciliorem earum dispensationem. Quam Panormit. opinionem Angelus & Sylu. probant ac cum eis Suarez. disput. 51. sect. 1. num. 3. Sotus tamen. in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 3. versus principium ait, morem nunc in religionibus seruari (siue is iure communi, siue consuetudine, siue priuilegio fuerit obtentus) vt per professionem, omnis irregularitas, quantum ad Ordinis susceptionem aboleatur, præter illam quæ vel ex homicidio voluntario, vel ex bigamia contrahitur. Adde per Concil. Trident. sess. 23. cap. 12. De reformatione & præter eam quæ contrahitur ex defectu ætatis. Cui dicto Soti, Suarez indicat non esse ita nitendum, quin iniquæ que religio expendere debeat. Antalem consuetudinem habeat ab antiquo, vel habeat aliquid priuilegium.

Porro in hacre ingressus religionis accipi debet cum duplici limitatione: vna est, vt religio sit approbata, quæ sola vere vocatur religio: altera, vt is ingressus sit per professionem, seu incorporationem illam, quæ quis sit religionis membrum. Nam talis proprie & secundum vsum canonum, vocatur ingressus religionis, non iuratus enim potius est ad probandam religionem, quam ad incorporandum se illi: ideoque tempore nouitatus non censetur cum ingresso dispensatum in irregularitate. Pro quo facit quod in citato cap. 1. dist. 56. ad id requiratur, vt ij cum quibus dispensatur, religiose conuersati sint in religionem: quod non potest esse, nisi post expletum tempus probationis.

Aduerte autem dispensationem quæ obinetur per ingressum religionis, valere quidem ad omnes Ordines: non tamē ad prelaturas: ne quidem in ipsa religione recipiendas: itaut monachus illegitimus non possit fieri Abbas vel Prior sine Papæ dispensatione ex cap. 1. De filiis Presbyterorum, neque generales Ordinum possent eum eo dispensare, sine speciali priuilegio Papæ.

## De modo tollendi irregularitatem per dispensationem.

## S E C T I O II.

**Q**uoniam prædicit glossa prima ad c. p. 1. dist. 55. habet, vbi non est copia aliorum, bene assumuntur unus legitimus, vt d. scientibus idoneis Dei ministris, possit cum irregularibus non idoneis dispensari: imo & debeat, si iusta ad sit



causa ex cap. Dominus noster, distinct. 56. (vbi glossa prima id habet expressum) & ex cap. Vnico distinct. 57. & ex cap. Literas De filiis Presbyterorum; & ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. De reform. attamen ex eodem Concil. sess. 25. cap. 18. dispensationes debent rarius concedi, quia enervant legem communem: etiam si interdum tam vrgens subest causa, vt dispensatio quodammodo debeat, prout ex eiusdem Concilii Trident. locis, atque ex aliis annotat Henriquez lib. 14. c. 17. §. 5. lit. B. Collige vero obiter ex eo effectum enervandi legem, dispensationem quamcumque sine causa datam illicitam esse (pro quo facit doctrina D. Thomae 1. 2. quæst. 97. art. 4.) etiam si data à Papa, censeatur valida: quia potestas ipsius non restringitur iure canonico, sicut potestas cæterorum Prelatorum.

De proposito modo alia tangit idem Henriquez pro præxi notanda. Primum est, in eo. cap. 17. §. 4. dispensatione esse tutissimum remedium contra irregularitatem: quæ vt licite fiat, debet iusta causa subesse: immo & præcedere talis causæ cognitio: eam in iure communi, per quod imponitur irregularitas, Episcopus, aut alius inferior, tanquam in lege fuit Superioris, non dispenset sine causa. Secundum est, in sequenti §. 6. facilius dispensari cum iam promotum (cuius irregularitas rationem quandam habet suspensionis ab vsu Ordinum) vt Minister in Ordinibus susceptus, quam vt promoueat ad nondum susceptos. Pro quo facit, quod Episcopus plerumque cum illo, non item cum hoc dispensare possit: vt patet ex dicendis in sequenti sect. 4. Tertium est, ibidem: dispensatum in maiori impedimento censeri dispensatum in minori eiusdem rationis: ideoque dispensatum ad superiorem Ordinem, aut ad illius vsum, censeri dispensatum ad inferiorem Ordinem, aut ad illius vsum.

Quartum est, in sequenti §. 7. dispensationes quæ per breue Summi Pontificis aut Legati ipsius, conceduntur extra Romanam Curiam, committi Ordinario loci, vt summarie & extraiudicialiter cognoscatur veritas narrationis: atque preces expressas vitio surreptionis vel obreptionis non subiacere prout statutum est in Concil. Trident. sess. 22. cap. 5. De reformatione. Quintum est, De quo Henriquez ibidem. Si causa quæ Papam impulit ad dispensandum fuerit, vera tempore dispensationis, quantumcumque postea desinat talis esse: non ideo dispensationem desinere esse validam. Exemplum est si dispensandus proposuerit se pauperem esse sicut tunc fuit reuera: & postea cum sit ab Episcopo informatus & executio literarum Apostolicarum, effectus est diues. Veruntamen sententia contraria tanquam tutior, immo & probabilior videtur consulenda propter ea quæ tradit Sanchez libro octauo De matrim. disput. 30. præsertim num. 12. Ratioque est, si intentio dispensantis fuerit subuenire necessitati cui dispensandi non tantum de præsententi, sed etiam in futurum sit obnoxius.

Vltimum est, De quo idem auctor in fine sequentis cap. 18. Episcopum si forte incidat in irregularitatem, aut censuram, posse dispensari & absolui per suum Confessarium in omnibus casibus in quibus ab ipso ordine subditi ipsius possunt ab eo dispensari aut absolui. Pro quo multos in margine citat: & addit id censeri à Papa vel à Metropolitanano concessum eidem Episcopo: ne facile cogatur extra suam diocesim vagari pro remedio suæ animæ.

De eo qui potest in irregularitate dispensare.

SECTIO III.

In qualibet irregularitate Papam dispensare posse, communis sententia est ex Angelo & Sylu. verbo, Irregularitas in fine, ac Couar. ad Clemen. Si furiosus 2. parte §. 3. num. 3. Nam cum plenitudinem potestatis habeat in Ecclesia, quæcumque sunt per Ecclesiam seu Ecclesiæ Prelatos instituta, de quorum numero est irregularitas ex dictis cap. 1. sunt ab ipso dispensabilia, prout D. Thomas expressit, quodlibet 4. art. 13. in corpore. Possunt etiam dispensare illi omnes, quibus Papa ipse dispensandi facultatem communicauerit.

In qua communicatione cum fere semper excipiat irregularitatem ex bigamia, & irregularitatem ex homicidio:

obseruandum est primo, si exceptio sit absolute ab irregularitate ex homicidio, facultatem extendi ad irregularitatem quæ prouenit ex licita occisione hominis, qualis est in bello iusto, aut in iudicio iusto. Quod Cæc. in verbo, Irregularitas, sub finem sic probat. Vbi non interuenit homicidium, ibi non inuenitur irregularitas homicidii. Constat autem quando homo iuste occiditur non committi homicidium: vt pote quod species est criminis. Nec enim eo nomine significatur qualiscunque occisio hominis, sed iniusta. Quare ad exceptionem propositam non spectat irregularitas, quæ incurritur ex licita occisione hominis: itaut gaudent prædicto priuilegio possunt sine scrupulo in ea dispensare ex eodem auctore.

Obseruandum est secundo, si exceptio sit ab irregularitate ex homicidio voluntario: illum cui data est facultas generalis dispensandi, per eam non impediti quominus dispensare possit in irregularitate ex homicidio casuali, seu perpetrato sine proposito & intentione occidendi. De qua re videri potest Nauar. cap. 27. num. 240. Possit idem dispensare in irregularitate ex occisione hominis licita: quia hæc, vt dictum est, nõ significatur nomine homicidii voluntarij.

Obseruandum est tertio, ex Nauar. in Enchir. (prout habetur in tomo tertio suorum operum editionis Lugdunensis) cap. 27. num. 253. verfu. Non dico: si Papa moriatur re adhuc integra mandatum ac etiam commissionem dispensandi ab ipso alicui facta expirare, nisi facta sint per modum edicti communis. Ratio est: quia mandatum & commissio, expirant mortuo concedente, iuxta legem, Mandatum, Cod. Mandati, vel contra: in eoque (prout notatum est ab Angelo in verbo, Gratia, §. 2. Sylu. eodem verbo, quæst. 2. & Tabiena nrm. 6.) differunt à gratia, & priuilegio. Adde ex eodem Nauar. in præced. cap. 26. num. 13. quando Papa committit alicui, vt cum alio in omnibus irregularitatibus ipsius dispenset, si dispensationem dederit generaliter ab omnibus: dispensatum non teneri amplius dispensationem petere in irregularitatibus quartum forte non fuit tunc memor.

Obseruandum est quarto, opinione quidem Socii in 4. distinct. 22. quæst. 3. art. 1 paulo ante primam conclusionem: cum in Iubilæis datur potestas absoluendi ab omni censure Ecclesiastica, eam potestatem extendi ad irregularitates prouenientes ex delicto. Meliorem tamen videri Nauarri sententiam in Enchir. cap. 28. num. 250. (pro qua plures alios Henriquez citat libro 14. cap. 17. §. 4. in marg. lit. L.) negantis potestatem absoluendi ab omnibus censuris, comprehendi vllam dispensationem ab irregularitate. Primo, quia in literis Apostolicis, nomine censure intelliguntur tantum excommunicatio, suspensio, & interdictum, iuxta cap. Quærenti, De verborum signif. De re vsus Romanæ curiæ habet, inquit Nauar. vt nunquam intelligatur concessa facultas dispensandi super irregularitate, nisi id exprimat. Denique nihil esset cur in iisdem literis aliquando exprimeretur facultatem eam dari. Adde quod cum in eadem expressione, solet fieri exceptio ab irregularitatibus ex bigamia & ex homicidio voluntario fateri oporteat, quod absurdum est, clausulam potestatis absoluendi simpliciter ab omnibus censuris, quæ in Iubilæis, bullisve indulgentiarum, sine expressione irregularitatis passim ponitur, esse maioris virtutis, quam eam in qua simul exprimeretur potestas dispensandi in irregularitate: quandoquidem cum tali expressione semper ponitur exceptio ab irregularitate ex bigamia & ex homicidio voluntario. In qua posteriori, ex homicidio voluntario inquam, cum non nisi ægre admodum solet Summus Pontifex dispensare etiam per se, iuxta cap. Miror, distinct. 50. nulla probabilitas est quod ipse dando passim facultatem absoluendi ab omnibus censuris, det & dispensandi ab omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto: de quarum numero est ea quæ prouenit ex homicidio voluntario.

Præter Summum Pontificem ex iuris dispositione, aut speciali eiusdem Pontificis priuilegio, possunt quidam ex officio suo in irregularitatibus dispensare nempe Episcopus in sua diocesi, Nuntius item Apostolicus in sua prouincia donec redierit ad urbem eam in qua est Papa, potest perinde ac Episcopus proprius dispensare: quia & ipse Ordina-

AL  
S



rius est, licet extraordinarie, quemadmodum habet Henriquez lib. 1. cap. 18. §. 2. Vbi & addit quosdam alios qui ex Sedis Apostolicæ privilegio idem possunt iure quasi Episcopali. Sufficit nobis de Episcopi potestate agere: cuius notitia habetur ex iure, & est omnibus necessaria. De ea autem illud principio occurrit notandum quando iura habent absolute, quod possit dispensari in aliquo casu, intelligi debere quod possit per Episcopum: prout in sequenti cap. 19. §. 2. litera P, aliis citatis habet Henriquez. Rationem addens, quod non loquantur de Papa, quem constat in omni iure positivo dispensare posse. Cum autem ius nihil de dispensatione disponit, Episcopus illam ideo dare non potest, quod inferior sine commissione dispensare non debeat in lege Superioris, sed secundum eam iudicare.

De Irregularitatibus in quibus d. sp. n. stat  
Episcopus.

SECTIO IV.

26. **I**am quando censetur Episcopo à iure commissi talis dispensatio sic explicatur. Primo, quoad irregularitates quæ ex defectu proveniunt: Irregularitatibus dispensare potest cum sponte mutilatis membro occulto, seu non apparente excepto castrato, prout post Astensem lib. 6. cap. 21. Sylvester notat in verbo *Corpore vitiatum, quæst. 1. lit. a.* Potest ite dispensare cum illegitimo, sed ad minores tantum Ordines, per cap. 1. De filiis Presbyterorum in 6. Deinde in provenientibus ex facto sine delicto, posse cum bigamis aliquatenus dispensare, exponitur in sequentibus cum in particulari dicitur de irregularitate ex bigamia. Postremo in provenientibus ex facto cum delicto, si delictum sit occultum, potest ex privilegio Concilii Tridentini sess. 24. cap. 6. De reform. dispensare in omni irregularitate excepto homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentiosum: lite scilicet adhuc pendente, necdum finita: prout declarat Henriquez in sequenti cap. 20. §. 4. Sin autem delictum sit publicum, solus Papa, exceptis aliquot casibus, dispensare potest: sicut & in provenientibus ex defectu sine delicto, puta ex bigamia, illiteratura, defectu animæ vel corporis, aut Natalium, aut atatis, aut libertatis, aut lenitatis.

27. **P**rimus autem casus exceptus est, quando excommunicatus accipit Ordinem. Cum ipso enim, si religionem ingrediatur, potest Episcopus dispensare ut ministret in suscepto per cap. ultimum, De eo qui furtive Ordinem suscepit.

Secundus est, De quo Sylvester in verbo, *Irregularitas num. 5.* quando quis duos Ordines sacros simul, vel Subdiaconatum simul cum minoribus Ordinibus temerario ausu recipit. Potest enim Episcopus cum eo dispensare ut ministret in Ordinibus non furtive susceptis, ex cap. 2. eodem tit. Nisi forte taliter ordinari prohibitum illi fuerit sub pena excommunicationis latæ sententiæ: quia tunc necessaria esset dispensatio Papæ, iuxta prius memoratum cap. ultimum.

Tertius est, quando quis exercet actum Ordinis quod nondum est initiatus: cum eo enim Episcopus dispensare potest, ut ministret in Ordine quem iam habet: non tamen ut ad altiorum Ordinem promoveatur, ex cap. secundo, De Clerico non ordinato ministrante, iuncta ipsius glossæ scilicet.

Quartus casus est, ex cap. 1. De ordinatis ab Episcopo qui renunciant Episcopatu: in quo proprius Episcopus cum iis qui ordinati sunt ab Episcopo, qui loco & dignitati renunciauit, potest dispensare in minoribus Ordinibus: ac cum lapsis in ea re ex ignorantia probabili, dispensare in maioribus Ordinibus: ut & cum iis qui Ordines ignoranter susceperunt ab Episcopo excommunicato, ex sequenti cap. ultimo, aut à limonico, ex cap. Statuimus decretum 1. qu. 2. Potest, inquam, dispensare tam in susceptis, quam in suscipiendis Ordinibus, ut notat Felicianus in tract. De irregul. sub finem, ap. 11. Idem statuens de eo qui ex ignorantia probabili ordinatus fuerit ab Episcopo hæretico, vel schismatico, vel deposito, vel degradato, quia par est in iis, ac in aliis ratio excusationis.

Quintus casus est, quando irregularitas nascitur ex adul-

terio publico, vel ex aliis minoribus peccatis publicis in ducentibus infamiam: quæ sunt ludus alexæ, visolonia, nonnullaque alia. In tali casu enim dispensare potest Episcopus quemadmodum notat Navar. in Enchir. cap. 27. num. 250. cum pluribus aliis, quos Henriquez refert lib. 14. cap. 19. §. 2. litera M, in margine: Pro quo citat cap. At si Clerici, De iudiciis §. 2. Vbi glossa verbo dispensare, id exprimit, fufque explicat.

Sextus casus est, quando irregularitas nascitur ex homicidio casuali: in ea enim, etiam si publica sit potest Episcopus in utroque foro dispensare ad minores Ordines, argumento cap. Ad audientia, De homicidio, & notant Navar. in Enchir. cap. 27. num. 240. in fine Covar. ad Clement. Si furiosus 2. par. §. 3. num. 5. & post eos Henriquez in citato §. 2. aliis in margine relatis lit. S. & T. Adde ex Concilii Tridentini sess. 14. cap. 7. De reform. cum homicidium casu perpetratum fuerit, aut vim vi repellendo, ad defendendum se à morte, committi Episcopo, aut ex causa, Metropolitanano, seu viciniori Episcopo, ut veritate rei prius diligenter explorata & probata, non autem aliter, possit dispensare ad sacrorum Ordinum ministerium. Denique ex prædicta facultate quæ in eodem Concilio sess. 24. cap. 6. datur Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario (quo nomine intelligitur illud quod perpetratum est de industria aut per infidias; aut ex proposito, aut in causa ex se ordinata ad mortem ut sit propinquo veneni) & deductis ad forum contentiosum. Ex ea, inquam, facultate satis intelligitur posse Episcopum simpliciter, etiam ad maiores Ordines suscipiendos, dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio ipso casuali occulto. Cum enim exceptio firmet regulam: Concilium à generali sua clausula excipiens homicidium voluntarium, satis indicavit illam completi omne peccatum ab eodem homicidio distinctum: de quorum numero est homicidium casuale. Quo fit ut Episcopus perinde cum homicida casuali occulto possit dispensare, ac cum alio quocumque criminoso occulto: prout Henriquez in eodem §. 2. attingit. Cum quo in sequenti cap. 20. quædam addenda sunt de eadem facultate Episcopo concessa.

Primum est, eam esse ample interpretandam tanquam favorem Concilii, quod potuit olim restrictam facultatem Episcoporum relaxare in hac parte.

Secundum est Episcopum, cum sit Ordinarius, posse eam facultatem dispensandi delegare alteri, vices suas illi committendo. Hoc Suarez in 3. partem tomo 5. disput. 41. sect. 2. num. 8. prober aliquot rationibus. Potissima autem est: quod Concilium non ita limitet talem facultatem, ut intelligatur Episcopus concessa, tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, sicut alias facere solet: sed simpliciter eamdem illis concedit: ita ut merito videatur muneris Episcopali iure ordinario annexa: ideoque delegabilis esse. Quod vsus confirmat, quo solent Episcopi suas vices in tali re aliis committere, quemadmodum idem Suarez notat.

Tertium est dispensationem ita concessam, debere in foro exteriori admitti ab Episcopo, tanquam benigno Iudice, si postea delictum occultum detegatur.

Quartum est, Capitulum posse idem in hac re sede vacante, ac Episcopum, cui in iurisdictione succedit, exceptis paucis de quibus videri potest Sylva in verbo Capitulum.

Quintum est, Quamvis subditorum nomine cum quibus potest Episcopus dispensare in sua diocesi, non comprehendantur regulares exempti, qui habitant in monasteriis eiusdem diocesis: cum talibus tamen sicut cum aliis sibi subditis posse dispensare si à suo Prælo subiciantur ei in illum finem: nempe ut dispenset cum illis. Est enim ob privilegium, in odiosis impediatur Episcopus iurisdictione ut in tales: tamen in causa favorabili, possunt à Prælo subici illi.

Sextum est, Si delictum occultum deductum fuerit quidem ad forum contentiosum, sed iudicium iam sit finitum, Episcopum posse dispensare in irregularitate ex eo secuta, videri probabiliter quia intentio concilii restringendo suam concessionem exceptione delicti ad forum contentiosum deducti ea fuit, ut iudicium auctoritas ferretur: quæ quidem in proposito casu nullo modo læditur neque obstat

quod



quod idem delictum deductum ad forum contentiosum sit publicum ex occulto quia sufficienter punitum in iudicio, ut supponitur non est generatum scandali, pro quo vitando Concilium suam concessionem restringit ad delictum occultum.

Septimum est, Cum idem Concilium in eod. cap. 6. vniuersaliter loquatur dicendo. Liceat Episcopis dispensare in omnibus irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, &c. facultatem predictam locum habere sive delictum eiusmodi sit proprium, sive alienum: id eo que potest Episcopus dispensare in bigamia occulta quam contraxit quis cognoscendo uxorem suam, quam ignorabat adueterium commisisse & postea re comperita vult facto diuortio ordinari. Item in irregularitate ex defectu natalium, ut in Ordinibus bona fide susceptis ministrare possit is qui ob crimen occultum matris coniugata, habebatur legitimus.

Porro quodnam delictum censetur occultum quodque publicum explicat Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 250. §. 20. inquit occultum esse quod non est publicum. Censeri autem publicum, quod est notorium, vel manifestum, vel famosum. Nota vero primo, publicum quidem dici communiter, quod notum est omnibus: attamen ad hoc videlicet censetur publicum, sufficere quod notum sit vicinis, collegio, vel monasterio, etiam si non sit toti prouincie ciuitati, vel parochie, atque tunc censeri notum viciniae, collegio, vel monasterio, cuius notum est maiori parti populi, eorundem & ipso populo decem saltem inueniantur: tot scilicet quot requiruntur ad constituendum ipsum, iuxta cap. Vnio 10. quest. 3. iuncta eiusdem glossa finali.

Nota secundo, distingui triplex publicum peccatum, vnum notorium, quod nititur scientia maioris partis antedictarum communitatum: alterum manifestum, quod nititur fama eiusdem maioris partis orta a scientibus: & tertium famosum, quod nititur quoque eiusdem maioris partis fama, non tamen orta ex scientia, sed ex indicij, vel ex presumptionibus. Similiter esse triplex occultum: vnum quod natura sua probari non potest ut illud quod in sua animi actione interiore consistit: alterum quod potest quidem probari suapte natura: ut illud quod actione externa committitur: sed nemo est per quem probetur, quia coram nemine factum est: & tertium quod probari quidem potest, sed per tam paucos, ut nulla inde fama orta sit, nec in iudicium deductum sit (pene occultum) ut antea ita ut ex eo non oriatur scandalum, nec laedatur iudicis auctoritas, sicut nec ex aliis occultis.

Nota postremo, ut delictum dicatur publicum, non sufficere ut actio in qua consistit fiat publice, sed adhuc debere publice constare eam esse peccatum: nisi enim id constet delictum censetur esse occultum in quo potest Episcopus dispensare. Exemplum est, si quis Missam publice dicat irreuerentia maiori excommunicatione, sed excommunicatus esse ignoretur a populo. Cum eo enim tanquam irregulari occulto potest Episcopus dispensare in irregularitate ab eo incurta taliter celebrando, quemadmodum definitum esse in Penitentia Romana Nauarrus ait in praeced. nu. 241.

## De ratione dispensandi in irregularitate.

## SECTIO V.

Quae necessaria videntur ad Confessarij instructionem comprehendimus aliquot documentis. Primum est à D. Antonino insinuat in 3. part. tit. 28. sub finem: dispensationem in irregularitate dupliciter dari posse: vno modo tacite, ut si Papa vel Episcopus (prout alijs in margine citatis habet Henriquez lib. 14. cap. 17. §. 4. lit. O.) in casu sibi concessio ordinem, vel ordinari committat aliquem, quem scit esse irregularem. Eo enim facto dispensat cum illo, iuxta glossam ad cap. Qui in aliquo, dist. 51. verbo, Qui concubinas. Idem iudicandum est quando alius Praelatus potestatem habens in irregularitate dispensandi cum suis, quempiam eorum, quem scit irregularem, mittit ad Ordines, ex Syluest. verbo, Dispositio, quest. 15. Et verbo, Irregularitas in fine, ac ex alijs auos Henriquez refert loco citato lit. P. ut pote qui iudicat

etiam si nullis verbis exprimat, dispensare cum eo in omni irregularitate, in qua potest, aut dispensationem ordinari committere. Alioquin enim malitiose peccaret, quod praesumendum non est. Hoc autem procedere tantum in quoad forum conscientiae, ex Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 74. non autem, quod nostra parui refert, quoad externum. Nota vero cum Maiolo in suo tractatu De irregular. cap. 51. num. 8. quod si Episcopus supine nihil de dispensationibus cogitarit, cum intentionem dispensandi non habuerit, illum qui ab eo in irregularitate ordinatus est non videri dispensatum, ideoque susceptum Ordinem exercere non posse ante adeptam dispensationem. Etenim tacita dispensatio intelligenda est tantum, quando Praelatus cognitionem habuit irregularitatis ante Ordines susceptos. Nam tantummodo sciens postea, non ideo iudicandus est dispensate.

Altero modo in irregularitate dispensari potest expresse, id est sub certa verborum formula, qualis in particulari non est determinata; etsi haec sit in Ecclesia vbi, prout in fine tractatus, De irregularitate, Notat Felicianus. Ego auctoritate qua fungor, dispenseo tecum super irregularitate: vel, si pueri in curia, super irregularitatibus, quam vel quas contraxisti propter hanc vel illam causam: aut si dubium erit, si quam, vel quas contraxisti: & habilito te executioni, sique noudum sit promotus, susceptioni & executioni Ordinum & officiorum tuorum in quantum mihi conceditur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Secundum documentum est, iuxta illud in cap. Per venerabilem, Qui filij sunt legitimi. Quod in maiori conceditur, licitum videatur in minori: Possit quidem censeri per dispensationem in irregularitate, sublatam esse impedimentum minus sublato maiore, cui annexum vel in quo inclusum sit (quomodo dispensatus ad promotionem aut usum Superiorum Ordinis, censetur dispensatus ad inferiorem Ordinem) non tamen tolli irregularitatem minorem sublata maiore, à qua est omnino separata ac distincta: sicut enim ipse inhabilitates sunt omnino diuersae, sic requirunt diuersas rehabilitationes, aut certe vnam vtriusque &que communem. Itaque dispensatus in irregularitate ex homicidio, non censetur dispensatus in irregularitate ex violatione alicuius censuræ, nisi de vtraque mentio facta sit in dispensatione. Vnde is qui plures habet irregularitates, debet omnes exprimere, dispensanti, qui utens verbo Dispensandi, intentionem expressam habeat tollendi illas omnes.

Vbi aduerte obiter iteratione facti propter quod imposita est irregularitas, hanc multiplicari ita ut ea toties incurra sit quoties factum ipsum fuerit commissum: ut patet, cum inter commissiones dispensatio intercessit: si enim obtenta sit post primam, nihil obstat quin adhuc obtineri debeat post secundam, & sic dereliquis.

Porro, si quis habeat aliquam irregularitatem cui annexum est aut coniunctum aliquod impedimentum: dum illa per dispensationem tollitur, hoc quoque sublato censetur. Sic spurium cum quo dispensatur ad Ordines, censetur simul dispensatus ad beneficium simplex: quia solus Ordo Ecclesiasticus facit capacem beneficij simplicis, non autem beneficij curati, ut Syluest. verbo, Beneficium, 3. quest. 10. habet ex Geminiano: sicut nec dignitatum, & praelaturarum: iuxta illud quod dictum est in praecedenti nu. 19. per ingressum religionis spurium reddi habilem ad Ordines, non autem ad praelaturas, etiam in eadem religione.

Tertium documentum esse potest: quod Henriquez auctoribus suo more in margine citatis habet lib. 14. cap. 17. §. 5. his verbis. Dispensationes debent rarius concedi, quamuis ad sit causa, quia eneruant legem communem: nec fieri deberent de plenitudine potestatis, quia oportet conformari legi communi, nisi ad sit idonea dispensandi causa. Interdum tam virgens subest causa, ut dispensatio quodammodo debeat: quia dispensare ex causa pertinet ad Deum commune. Quod si virgente causa Episcopus nolit dispensare, contra illum competet officium iudicis, seu appellatio ad Superiorem. Raro autem dispensandum est in irregularitate quae habet indecentiam quamdam naturalem, aut qua caecus vel carens oculo sinistro dispensetur ad celebrationem Missae: rarius cum bigamo & homicida voluntario: quos fere semper solet Papa excipere in suis priuilegijs.



## TITVLVS SECVNDVS.

## De Irregularitatibus ex defectu, aut ex facto sine delicto.

DE his in communi prænotandum est: quod etsi ut plurimum spectet ad solum Papam in eis dispensare, tamen quando res est dubia Episcopi esse iudicare num defectus qui occurrit talis sit, ut inducat irregularitatem, ex Innocen. ad cap. 1. De corpore vitiat. Dubium vero est, num in religionibus exemptis idipsum iudicare possint religiosorum Prælati. Nauar. enim in Enchir. cap. 27. num. 200. Post Sylu. verbo corpore, vitiat. quæst. 1. negat posse, Angelus autem eodem verbo num 5 & Tabiena num. 3. affirmant posse: quod est quidem satis probabile, cum per exemptionem ab Episcopo, Prælati exempti censeri possit habere in eo ius æquale Episcopali: Prior tamen sententia est tanquam tutior in praxi sequenda.

## CAPVT IV.

## De prima specie Irregularitatis, quæ est ex defectu animæ.

## SUMMARIVM.

- 34 Triplex defectus animæ, ex quo nascitur irregularitas.  
 35 Proueniens ex illiteratura.  
 36 Cuius literaturæ defectus constituat irregularitatem.  
 37 Quomodo verum sit irregularitatem ex illiteratura indispensabilem esse.  
 38 Amens incapax est Ordine.  
 39 Qui in amentiam incidit, postquam ad sanam mentem rediit, irregularis manet, & quid agendum sit, ut valeat ad Ordine promoueri.  
 40 Delirium aut insaniam proueniens ex vehementia feb. is, cessans hac cessante, non relictum hominem irregularem.  
 41 Irregulares sunt furiosi lunatici epileptici: & sic Sacerdotes conuulsique dicuntur, quid agendum sit cum eis, ut ad Missæ celebrationem admittantur.  
 42 Quid seruandum cum obnoxio vertigini capitis vel animi deliquo.  
 43 Irregularitas dæmoniacorum.  
 44 Irregularitas Neophytorum.

34 DEFECTVS animi inducens irregularitatem triplex est, vnus literaturæ, alter vsus rationis proueniens ex infirmitate corporis, ita redundante in animam, ut eam priuet ipso vsu rationis, sicut accidit in furiosis, lunaticis, & comitiali morbo laborantibus, ac in dæmoniacis. Tertius antiquitatis & firmitatis in fide: qualis defectus communiter est in Neophytis. Quibus in Enchir. cap. 27. num. 205. Nauarrus addit defectum in fide, tantum in eo qui hanc nondum recepit, ut in Iudæo, vel pagano: quam in eo qui receptam deseruit: ut in hæretico vel apostata. Sed cum impedimentum recipiendi vel administrandi Ordines in eo qui fidem nondum recepit, sit de iure diuino, quo baptismus præsupponitur in omnium aliorum sacramentorum receptione (ita ut ad hanc Ecclesia dispensare nequeat cum non baptizato) ipsum nequit censeri irregularitas, quæ inducitur tantum iure canonico, prout habitum est in cap. primo. Impedimentum vero in eo qui fidem deseruit, irregularitas est quidem, sed quæ merito ponatur in numero earum quæ nascuntur ex facto cum delicto.

## De proueniente ex literaturæ defectu.

## SECTIO I.

35 DE irregularitate autem ex defectu literaturæ notandum est primo induciam esse à iure per c. Illiteratos, dist. 23. & per cap. vltimum. De temporibus ordinat. in 6. vbi illiterati ad clericalem tonsuram, atque adeo ad quemuis Ordinem non promoueri prohibentur, ac per cap. vltimum, De

ærate, & qualitate. vbi propter illiteraturam Episcopus ab executione, & administratione officii amouetur.

Notandum est secundo, quænam ad singulos Ordines literaturæ requiratur, definitum esse in Conc. Triden. sess. 23. De reformatione, vbi cap. 4. prohibentur initiari primatonsura qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant: & cap. 11. statuitur conferendos esse minores Ordines iis quis saltem Latinam linguam intelligant: & in cap. 13. vt Subdiaconi & Diaconi ordinentur in minoribus Ordinibus iam probati, ac literis & iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent instructi: & cap. 14. vt ad presbyteratum assumantur qui ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, atque ad sacramenta administranda, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur; & sess. 22. cap. 2. vt qui ad Episcopatum assumendus est in vniuersitate studiorum, magister siue Doctor, aut licentiatuſ re sacra Theologia, vel iure canonico, merito sit promotus: aut publico alicuius Academiæ testimonio idoneus alio docendos ostendatur.

Tertio notandum est: Concilium Triden. hæc d. finiendo nõ inducere irregularitates quæ nascuntur ex defectibus illius doctrinæ, quam exigit ad vnumquemque Ordinem. Primo, quia nullo vitur verbo prohibitio, nisi loquendo de prima tonsura, per quod insinuet Irregularitatem imponere ob talis doctrinæ defectum. Deinde si irregulares essent qui promouentur ad quemque Ordinem sine doctrina ad eum requisita per Concil. ipsum, pari ratione essent quicumque deficerent in aliquo ex iis quæ idem Concilium in iisdem locis ad Ordines similiter requirit, si quæ in infinitum multiplicarentur irregularitates, quod est incongruum.

Itaque defectus doctrinæ constituens irregularitatem est solus ille, qui hec inueniendæ minuat illiteratum (quia de hoc tantum memorata iura expressam mentionem faciunt) atque adeo illiteratum penitus: ut ad cap. Illiteratos, dist. 23. glossa interpretatur. Quo nomine significari cum qui nunquam grammaticam audiuit, deduci potest ex c. fin. De ætate & qualitate: vbi de quodam qui, quoniam illiteratus erat, depositus fuit: dicitur quod nunquam de grammatica didicisset, nec Donatum legisset. Ad eum illi qui aliquo modo in literis versati sunt, etiam si non multum profecerint, nõ videantur illiterati censendi, sufficienter ad irregularitatem: præsertim quando in illis, quod imperfectum est scientiæ, supplet perfectio haritatis, ex cap. Nisi cum prædictum, De renunc. §. Pro defectu.

Quarto notandum est: cum talis est defectus doctrinæ in vnoquoque Ordine, & officio: ut ordinatus non possit propter ignorantiam fungi suo munere: tunc & qui ordinatur & qui ordinari peccare mortaliter: atque si periculum sit de aliqua irreuerentia in vsu Ordinum, vt in celebratione Missæ, teneatur ordinatus ab illo abstinere sub pena peccati mortalis: quia ratio naturalis dicit, diuina esse reuerenter, digneque administranda.

Vnde intelligimus quatenus admittendum sit quod Maiolus habet in lib. 1. de irregular. cap. 32. nu. 13. defectum literaturæ indispensabilem esse. Id enim verum est habito respectu ad Ordines eos, qui vt debite exerceantur, doctrinam requirunt: quia enim impedimentum eorum exercendorum in illiterato, est de iure naturali, Papa non potest super eo dispensare. Habito respectu vero ad eos Ordines quorum rectus vsus non habet necessariam doctrinam: sed sufficere potest quod quis recte legat: vt cum talis vsus non habet adiunctum onus docendi populum, aut conficiendi vel conferendi sacramenta (velut vsus minorum Ordinum) aut cum ante tempus vtendi Ordinibus susceptis comparabitur literaturæ sufficiens ad eorum debitum vnum: tunc, quia in illiterato impedimentum exercendorum Ordinum est tantum irregularitas de genere impedimentorum Ecclesiasticorum, Papa potest super eo dispensare: sicut super cæteris Ecclesiasticis impedimentis: quamquam ex Nauar. in cit. num. 205. id non solet, & merito.